

II 6
1619



Q. N. 3642.



B. M. 1. 408

HISTORIA
PROVIDENTIAM DIVINAM
QVANDO ET QVAM CLARE
LOQVATVR?

DISPVATIO HISTORICO-PHILOSOPHICA
QVAM
PRAESIDE
IOANNE MATTHIA
SCHROECKH

HISTORIAR. PROFESSORE PVBL. ORDIN.
BIBLIOTHECAE ACADEMIAE DIRECTORE
INSTITVTI REGII HISTORICI GOTTINGENS.
MEMBRO ORDINAR. SOCIETATIS LATIN.
MARCH. BADENS. SODALI HONORAR.
H. T. ACADEMIAE RECTORE

AD D. IV. OCTOBRIS A. C. MDCCLXXXVI
PVBLICE DISCEPTANDAM
PROPOSUIT

AVCTOR
CAROLVS LVDOVICVS NITZSCH
A. M. ET THEOL. BACCAL.

VITEBERGAE
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII



HISTORIA
PROVIDENTIAM DIVINAM
QUANDO ET QUAM CLARE
COGNOSCANTUR


DISPUTATIO HISTORICO-PHILOSOPHICA
QUAM


TRAFSIDE
IOHANNES MATTHIAS
SCHROECKH

HISTORIARUM PROFESSORIS PUBLICI ORDINIS
LITTEARUM ACADEMIARUM DIRECTORIS
INSTITUTI REGII HISTORICO-GOTTINGENSIS
MEMBRUM ORDINARIUM SOCIETATIS LITTEARUM
MARCI BARBERII SOCIETATIS HUNGARICAE
ET ACADEMIARUM RECTORIS

AD R. IV. GOTTARIS A. C. MDCCCLXXVI
PUBLICE MUSEI IN AUSTRIA
1805

AVCTOR
CAROLVS LADOVICVS NITSCHE
A. M. ET THEOL. BACCAL.





HISTORIA
PROVIDENTIAM DIVINAM QUANDO ET
QUAM CLARE LOQVATVR?

§. I.

In rebus iis, a quibus praecipua historiae laus commendatioque ducitur, iure meritoque numeratur utilitas ad agnoscendam admirandamque diuinam, rerum humanarum moderatricem, providentiam; cuius quidem ex omnium temporum et populorum memoria, multa et expressa vestigia reperiri, cum exemplis doceri potest claris et illustribus, tum etiam doctissimi omnis historiae viri constanter existimauere. Etsi autem hic historiae vsus omnino dubitationem non habet apud aequos et peritos rerum existimatores: tamen, eius omnem rationem vulgo non satis intelligi, multis indicis patet. Est enim quorundam ea inscitia atque importunitas, vt in rerum huma-
rum



rum euentis plebem tantum imperitam, ob ignorantiam verae causae, ad prouidentiam Dei confugere dicant, causisque rerum gestarum indicandis, id se efficere posse arbitrentur, vt nullae iam prouidentiae diuinae partes appareant; quo ipso nihil stultius cogitari potest. Aliorum haec est peruersa ratio, vt omnem Dei prouidentiam e diuina rei publicae Iudaicae administratione aestiment, et apud nos quoque omnia rerum euenta moribus hominum eodem plane modo accommodari, sibi et aliis persuadeant, ipsa quanquam experientia opinionis vanitatem arguente. Atque error iste non nimis raro reprehenditur in sermonibus doctorum, pro concione sacra dicentium, cum e. c. in annonae caritate, populo, si ad frugem redire velit, omnium rerum copias promittunt, laetasque segetes spondent, atque arua beata, et pluuiam vtramque, omniaque omnino felicia et prospera, tanquam a Deo in consilium adhibiti, vaticinantur; contra ea bellorum calamitates, et morborum, omninoque publica mala, ita interpretantur, vt in poenis diuinis, incredibili cuidam hominum impietati debitis, habenda censeant; quanquam saepius ne vulgi quidem imperitiae haec satis probare videntur. Ac nuper talem experti sumus prouidentiae diuinae praecognitionem, qui peculiari libello, eos, qui proxima in his terris annonae caritate, fame periissent, impios fuisse omnes, vitaeque scelestae poenas meritas dedisse, contenderet, tamque egregiam sententiam multis Vet. Test. locis, tanquam totidem argumentis firmissimis, circumuefliret; qui erat profecto *Ζήλος οὐ κατ' ἐπίγνωσιν* consiliorum diuinorum parum idonei interpretis. Sed haec ratio, ad obscurandam, quam illuminandam, prouidentiam diuinam, accommodatior, fieri non potest, quin rem totam leuitati multorum suspectam faciat, certe negligentiores reddat multos ad vera et luculenta prouidentiae vestigia tum obseruanda, tum etiam ad alendam diuini numinis reuerentiam transferranda.



renda. His autem quoniam abundare historia dicitur, quaeri potest, quomodo, vitata omni diuinandi temeritate, certis quasi vestigiis persequi sapientiam diuinam in rerum humanarum administratione debeamus, quibusque signis ea se cognoscendam et conspiciendam hominibus praebet: id quod hac disputatione inuestigare tentabimus, non, quo speremus, viris doctis et rerum peritis nos in re tali satisfacturos, sed vt in explicando argumento, peculiari pertractatione haud indigno, vtcunque et pro ingenii nostri modulo versetur, a quo, bene intelligimus, nihil perfectum aut praeclarum expectari vel posse, vel etiam debere.

§. II.

Sed nobis ante, quam ad eam providentiae partem, cuius documenta historia praebet, accuratius explicandam accedamus, quaedam vniuerse de omnis prouidentiae diuinae ratione praemonenda videntur. Neque enim omnino hic pratermittenda videtur quaestio, multorum disputationibus celebrata, utrum Deus mundo conseruando et administrando suam ipse vim adhibeat, nulla alia causa intercedente; quem influxum immediatum potentiae diuinae vernacula consuetudo appellat: an vero ita mundum semel constituerit, vt ea ne opus quidem esse existimandum sit. Qua in re mihi videor obseruasse, multos eorum, qui vim ipsam diuinam hic agnoscant, et contra aliter sentientes defendant, non diserte satis declarare, vtrum ad conseruandum mundum eam tantummodo adhiberi censeant, an vero etiam ad gubernandum: quae tamen sunt longe diuersa, et diuersis admodum argumentis comprobanda. Ac de conseruatione quidem res expedita est. Nulla enim res creata, vel ipsa, vel insita ei vis naturalis, propria virtute conseruari potest et continuari, sed e naturae cuiusdam



necessariae vi ac voluntate semper pendeat, necesse est; id quod e
 natura rerum fortuitarum, inuicto argumento, probatur. Atque in-
 de porro colligitur, actiones quasque rerum creatarum, Deo adjuvan-
 te h. e. vim naturalem intendente perfici, idque in multis etiam expe-
 rientia constare, philosophi auctores sunt. Negant enim, vim motri-
 cem, quod coeca sit, cuius actioni naturali perficiendae sufficere
 posse, vt conformandis in vtero materno foetibus animantium, aliis-
 que similibus; quapropter vel hanc ob causam diuinum quoddam
 auxilium agnoscendum esse. Sed quicquid in ea re necessario aut
 probabiliter argumentari solent, alteram diuinae prouidentiae partem,
 quae in gubernatione posita est, nullo modo attingit. Gubernatio
 enim diuina in eo consistit, vt Deus omnes rerum creatarum mutatio-
 nes, s. omnia, quae in mundo sunt et accidunt, ad finem, in con-
 dendo mundo sibi propositum, concurrere iubeat. Sed illa vis diuina,
 quatenus rebus conseruandis earumque viribus continuandis et inten-
 dendis adhibetur, nihil iam pertinere potest ad mutationes earum re-
 gundas; quae quoniam e causis creatis earumque vi naturali pendent:
 quaeritur, qua ratione Deus ita eas regat ac temperet, vt finis, quem
 propositum habet, obtineatur? Ea autem harum duarum alterutra esse
 debet. Aut enim Deus omnium, quae in hoc mundo sunt vel fiunt,
 nexum inter se ac seriem et continuationem, ita ab initio prouidit et
 praeparauit, vt omnia, quae existere et fieri, certe non impediri, vel-
 let, eo, quo vellet, loco, tempore, modo, cet. existerent fierentque
 contra ea, quae nollet, non existerent, fierentue, idque nulla sua
 ipse vi intercedente; quod systema nexus rerum s. primitiuae consti-
 tutionis appellant: aut, naturali rerum ordine ac serie consilii diuinis
 non semper respondente, Deus, ne per causas creatas, praesertim li-
 bera voluntate praeditas, ordo turbetur, et ea fiant, quae permittere
 nolit

nolit, sua ipse vi, occultissima quidem, sed vi tamen, efficit, vt non ea, quae in nexu rerum rationem habeant, sed quae ipse malit, per causas creatas fiant; quod tamen totum, quale sit, nondum fatis explicatum legimus. Sed is est influxus ille immediatus, vt vulgo loquuntur, quem in conseruatione necessarium esse vidimus. Iam quaeritur, vtrum ad gubernationem quoque pertineat, omninoque, vtraharum duarum rationum, quas commemorauimus, alteri praeferenda sit. Mihi quidem semper, et antequam de ea re quicquam vel legissem, vel audiuissem, prior illa ratio arrisit, qua omnia per nexum rerum ac feriem, Dei sapientia praeparatam, administrarentur; neque in ea re quicquam, quod diuinae gubernationis veritati aut dignitati officeret, intelligere potui. Et confirmatus etiam in hac sententia sum disputationibus aduersariorum, vim diuinam mundo gubernando adhiberi pugnantium. Hi enim fere calumniis vtuntur, quibus inuidiam alteri rationi faciant; in sua autem defendenda et commendanda nihil, praeterquam concionantur. Ex instituto quidem rem tractauit nuper ANE DRYFHOUD, Theologiae et Philosophiae Traiecti ad Rhenum doctor, in libello, quem *de Prouidentia Dei speciali* inscripsit; (quanquam potius inscribendus erat *de Gubernatione Dei immediata*; in hac enim defendenda unice laborat) sed is profecto nemini perito satisfecerit. Argumenta, quae protulit, leuiter perstringamus, ac primo locum adponamus, ex quo mentem eius et vniuersam rationem intelligere liceat. *Deum*, inquit p. 123. *in regimine huius mundi physico ac morali, istam sibi libertatem seruasse, vt sine legum naturalium suspensione, aliquando leni ac insensibili impulsu in causas secundas insuat, vt longe alium, quam si absque illo egissent influxu, euentum sortiantur, varia euincunt argumenta, tum ex Ratione, tum maxime ex S. Scriptura et experientia petita.* Nimirum, quae Deus in
huius



huius mundi gubernatione, sua quidem vi, sed naturae legibus obsequente, agat, (quod quidem ipsum non satis intelligi potest.) ea negat in miraculis habenda esse: quam de miraculi notione controuersiam, quae facile in verborum pugnam abit, hic nolumus attingere. Argumenta rationis tria protulit. Primum petatum est ab ipsa Dei gloria, quam nostra ratione obsecrari dicit, in qua cum omnia a causis creatis proficiscantur, nulla locum habere diuinarum virtutum indicia ac documenta. Quasi *lenis ille ac insensibilis impulsus*, quo Deum in res creatas dicit uti, rem magis ante oculos ponat, neque omnia, quae Deus e causarum continuatione fluere iubeat, ad ipsum auctorem referenda sint. Sed huic argumento eludendo omnis reliqua disputatio nostra erit comparata. Alterum argumentum calumniam habet necessitatis rerum omnium, quae per systema nexus rerum inducatur. Sed ista calumnia nemo sibi utendum putabit, nisi qui discrimen inter necessitatem absolutam et eam, quae est cum conditione, nesciat, cumque hac libertatem bene consistere posse, non capiat, omniaque omnino, quae sint cum conditione necessaria, per se fortuita esse, nondum didicerit. Tertium denique argumentum, cui ipse plurimum tribuit, omnium leuissimum est. Nimirum preces ad Deum frustra fieri arbitratur, si non ipse sua vi rogata faciat, sed ea tantum eueniant, quae sine precibus nostris per nexum rerum euentura erant. Quasi preces nostrae non pertineant ad nexum rerum, atque idem maneat beneficii auctor Deus, siue id sua vi nobis admoueat, siue per nexum rerum contingere iubeat. Putassem disputatorem nostrum aduersariorum sententiam plane ignorare, nisi locum Wolfii τὸν πάντων attulisset, (p. 131.) qui perspicuam eius expositionem haberet. Sed, dici non potest, quam inepte philosopho respondeat: v. c. *Deum non posse dici preces exaudire, si rerum mutationes ex ipso naturae ordine profluant;*



fluant; item, preces nullam in nexu immutationem efficaciam exserere posse, quapropter, nisi Deus vim suam intercedere iubeat, eas omni effectu carere: quae quam acuta sint et callida, quisque sua sponte sentiet. Post haec argumenta magnus atque inutilis sequitur dictorum Scripturae S. apparatus, quibus Deus dicitur omnium rerum ipse curam gerere, ipse punire fontes, opem ferre afflictis, gentes armare atque inter se committere, et alia complura, quae ad mundi gubernationem pertineant, ipse administrare. Sed istis omnibus non erat opus. Scripturam enim S. perpetuo sic loqui, nemo nescit aut dubitat; ac mirum profecto sit, si aliter loquatur, cum omnes, qui providentiam diuinam agnoscant, eodem modo dicant. Nam qui de providentiae documentis populariter loquuntur, simpliciter Deum auctorem laudant, nec de modo, quo Deus utatur in mundo regendo, solliciti sunt; cuius inuestigatio ad scholam pertinet ac differendi subtilitatem, quam, omnes fatentur, a Scriptura S. esse alienissimam. Quare ex istis locis omnibus, arbitramur, modum diuinae gubernationis definiri non posse; idemque dicendum est de providentiae documentis, quae ex historia commemoravit Auctor a pag. 173. in quibus gubernationis quidem veritas agnosci debet, modus, quem vult, intelligi non potest. Et omnino perversa est eius disputandi ratio, quoniam, quod in primis demonstrari debebat, solo rerum nexu gubernari mundum non posse, id temere sumit et paene ubique intelligi iubet. Ex vniuersa mundi et causarum creaturarum indole ac natura, opinor, efficiendum est, siquidem fieri potest, necesse esse, vt Deus gubernandis quoque rebus humanis et naturalibus vim suam admoueat. Indignum enim fuerit sapientia diuina, statuere, quae per nexum rerum non minus bene fieri possint, ad ea efficienda Deum vi sua vti; quam quidem, vbi non est opus, nunquam adhibere censendus est.



Difficillima quidem videri possit gubernatio, quae rebus omnibus in omne tempus quam optime quasi collocandis, inter se necestendis et aptandis, diu ante provideat: sed quo magis nobis difficilis, atque adeo stupenda videbitur, eo dignior erit infinita Dei scientia et sapientia, eique illustrandae aptior. Quare hanc ipsam rationem alteri praefendam existimo, nisi quis legitima ratione demonstrat, mundum omnino, nisi vi diuina intercedente, administrari non posse, nec Deum, in prima huius mundi constitutione, eam potuisse omnium rerum et causarum continuationem praeparare, quae consiliis suis satis responderet; quod nos quidem, ut existimaremus, nondum potuimus a nobis impetrare. Quapropter et in hac disputatione non quaeremus, quando vis diuina rebus humanis intercesserit, euentorumque nullae causae appareant, sed providentiam diuinam illis ipsis vestigiis persequemur, quae alii, causis rerum gestarum indicandis, se delevisse, gloriati sunt. Qui certe non acutius philosophati videntur, quam Lucretius quondam, qui, eruendis euentorum naturalium causis, idem se effecisse arbitrabatur.

§. III.

Historia autem, cuius usum ad agnoscendam Dei providentiam indagamus, quoniam hominum res gestas persequitur, praecipuam providentiae diuinae partem sibi illustrandam vindicat, quae posita est in gubernatione rerum humanarum. Naturalem enim historiam, quam nec vulgo in Historiae nomine, simpliciter posito, intelligimus, hic non spectamus; quanquam et ipsa documentis abundat providentiae diuinae variis et illustribus. Rerum autem humanarum gubernatio, etsi felicitatem hominum non minus vniuersorum communem, quam singulorum propriam, proxime propositam habet, tamen in Hi-
storia

storia tum maxime se conspiciendam praebet, cum plurimorum hominum simul, et gentium vniuersarum, atque adeo totius generis humani, felicitatem curat, vel bonis largiendis, vel malis ad ipsorum salutem conuertendis. Sed cum ad hanc rem maxime vtatur ministerio hominum, saepe singulorum: quomodo id fiat, et quid quasi iuris sibi in res humanas prouidentia vindicet, videndum est. Ac primo quidem satis constat, quicquid homini a natura, itemque fortuna, tributum sit, quo loco, tempore, a quibus parentibus natus sit, et quicquid ei per vitam, imprudenti et non curanti, accidat aut contingat, id totum esse operis et consilii diuini; in quo, non est dubitandum, quin saepe summum sit ad maximarum rerum vicissitudinem momentum. Deinde in ipsis quoque hominis actionibus, decernendi quidem libertas et arbitrium est penes ipsum, euentus autem omnis e Dei gubernatione pendet. Quare aliis hominum consilii impedimenta Deus obicit, vt exitum habere non possint, aliis euentum annuit, aut, quem homo spectauerat, aut alium, sibi magis probatum; et ipsas actiones interdum elicit, occasionibus suppeditandis, easque adiuuat opportunitatibus, a longo saepe tempore prouisis, et per alios praeparatis. Atque haec talia Deum agere, nos quidem existimamus, non sua quadam vi, sed rerum serie ita ordinanda atque accommodanda hominum studiis, consiliis, actionibus, vt nihil, nisi ipso volente aut permittente, fieri possit, omnia autem ad finem ipsi propositum concurrere debeant. Qui finis, cum sit in hominum felicitate positus, tantum ad eam fieri Dei gubernatione, existimandum est, quantum, salua eius sapientia et iustitia, possit. Sed cum in tot rerum tam longa serie, quo quaeque pertineat, humana ratio assequi non possit, et quaecunque fiunt, per causas creatas ipsosque homines fiant, quorum libertati a Deo nulla vis infertur, facile apparet, occultam esse hanc



Dei gubernationem, nec vlla humani ingenii sagacitate penitus pernoscendam. Ceterum tamen ratio inuestiganda est, qua in mediis hominum conatibus et molitionibus illam Dei moderatricem manum agnoscere interdum, et velut in opere suo occupatam deprehendere queamus.

§. III.

Neque enim existimandum est, tantam esse, vel humanae mentis coecitatem, vel obscuritatem diuinae gubernationis, vt nihil consilii diuini in rerum humanarum euentis certa ratione intelligi possit. Negari quidem non potest, vel de hominum consiliis fallacissimum saepe iudicium esse, in iisque interpretandis nonnunquam turpiter falli curiosos inuestigatores. Ac de Principum consiliis, saepe audimus, quam stulte iudicent homines de plebe, si qui in politicis aliquid sibi videre videntur, et quantopere se irridendos praebeant. Humana autem ratio non melius consilia summi Regis, res omnes administrantis, intelligere videtur, quam homo plebeius Principis, rempublicam temperantis. Nos enim omnes, quicumque homines nascimur, in regno Dei quaedam quasi plebecula sumus, certe inter huius amplissimi regni ciues infimo loco censemur. Quam longe igitur huius regni administratio angustos excedet fines, quibus nostram intelligentiam inclusam et circumscriptam sentimus? Haec talia, quanquam non inepte dicuntur, tamen non eo pertinent, quo nonnulli traxere, vt indicia nulla reperiantur, e quibus Dei, res humanas moderantis, consilia fatis tuto colligere possimus. Neque enim nobis necesse est in regum conclauia penetrare, et eorum consiliis adhiberi, vt intelligamus eos, si vrbes muniant, et praefidia imponant, facere id ad regni incolumitatem, si frumentum exportari vetent, velle id ciuium vsibus seruari,



feruari, si populum tributis leuent, eius commodis prouidere, atque alia complura, quae, nemo tam nihil intelligat, quin videat. Quodsi autem ex omnibus, quaecunque rex faciat et instituat, consilia eius statim diuinare, et quam ob causam quidque suscipiat, pronunciare velimus, mentem eius inspiciamus, omnemque rei publicae gerendae rationem teneamus, necesse sit. His igitur docemur, nec omnia Dei consilia nobis occulta manere posse, praesertim cum ipse curare debeat, ut Dominum se mundi agnoscant ciues sui: neque tamen nimis multa innotescere, sed saepe in eius sapientia et bonitate acquiescendum esse, cuius artem, ut ita dicam, mundi gubernandi, non intelligamus. Nam et medici in morborum curationibus multa faciunt, quae, quo pertineant, sine artis medendi peritia iudicare non possis, neque tamen non salutaria sint; qua similitudine res bene illustratur apud Plutarchum, non longe ab initio dissertationis, quam de sera Numinis vindicta scriptam reliquit. Sed ad ipsam quaestionem nostram constituendam et explicandam veniamus.

§. V.

Illud quidem ex antea dictis intelligi potest, non sic interpretandam esse quaestionem propositam, ac si, quando aliquid diuino numine fiat, ex Historia demonstrare velimus. Nihil enim sine Deo fieri, libenter fatemur. Atque indignum sit infinita Dei potestate et sapientia, putare, quicquam rerum humanarum ab eo negligi, ac vel minimae actionis, tum ipsius, tum eorum, quae ex ea consequantur, quae saepe summa sunt et grauissima, nullam rationem haberi. De eo igitur hic nullam dubitationem mouemus, sed prouidentiam Dei ad omnia, quae per homines fiant, pertinere, atque omnia complecti, vltro concedimus. Sed alia quaestio est, quibus





in rebus haec diuina gubernatio appareat? Talibus enim commemo-
 randis Historia prouidentiam diuinam loquitur, h. e. eius certa et lu-
 culenta vestigia ostendit. Etsi enim prouida Dei cura res vniuersas
 et singulas comprehendit: tamen plurima fiunt, quae, cur Deus per-
 miserit, nullo certo indicio pateat, ac saepe ne coniectura quidem
 iudicari possit; quod quidem in tanta rerum multitudine et varietate
 minime est mirandum. Et cum Deus in posterum quam longissime
 prouideat, multarum saepe rerum vtilitas ab initio latet, longo de-
 mum post tempore, forsan elapso saeculo, aut vltius etiam, in
 lucem proditura; quae tanta distractio interdum efficit, vt postea,
 vnde profecta sit vtilitas, a nemine intelligatur, occultis cum prima
 causa nexibus non animaduersis, aut obliuione deletis. In his igitur
 talibus, quoniam diuina gubernatio omnem humani ingenii sagacita-
 tem eludit, quibus tandem signis se cognoscendam atque intuendam
 praebeat, videndum est. Et primo quidem, si qui euentus fuerit
 eiusmodi, vt in eo consilium aliquod, Deo dignum, perspicue satis
 intelligi possit, pro documento diuinae gubernationis recte habebitur.
 Iam quoniam omnis gubernatio diuina hominum felicitatem spectat,
 sequitur, vt, quicquid ei quomodocunque inseruuisse intelligamus, a
 diuino consilio profectum existimemus. Sed hoc nondum sufficit ad
 eam perspicuitatem, quam quaerimus. Nam si quid bene vtiliterque
 factum est ab hominibus, id ipsum spectantibus, eaque sapientia, con-
 stantia, potestate, praeditis, vt alias euenti secundi causas non ma-
 gnopere desideremus: in eo certe prouidentiae diuinae partes non sa-
 tis perspicue apparent. Quare tum demum gubernationem Dei mani-
 festis impressam vestigiis videbimus, cum res vtilissimas, vel nullo
 hominum consilio, vel alieno aut contrario, vel non solo, sed cau-
 sarum quoque fortuitarum concursu, perfectas intelligemus. Vbi igitur
 tur



tur de euentu secundo et salutari confiterit, originem eius, praesidia, et causas omnes, spectare oportebit; quae, quo minus in hominum consiliis, opera et facultate, positae reperientur, eo manifestius Deus auctor apparebit. Primum igitur documentorum prouidentiae genus ponimus, in quo liberis hominum actionibus omnino non est locus: ut in iis, quae homini accidunt, a natura contingunt, etc. In quibus si qua facta fuerint ad multorum hominum felicitatem, non erit dubium, quin prouidentiae diuinae debeantur. Alterum genus ipsa hominum consilia et actiones spectat, quatenus vel permittuntur, vel impediuntur, vel etiam eliciuntur, diuinis consiliis accommodate. Iam si actiones hominum cum euentis secundis et salutaribus comparamus, triplex fere modus, gubernationis Dei in iis agnoscendae, existit. Vbi enim, primo, euentus salutaris per homines, aliud agentes, diu ante praeparatus est; deinde, impedimenta ab hominibus magno conamine obiecta, leui quadam et inopinata causa interueniente, remota reperiuntur; ipsa denique res utilis et salutaris, per homines, aut aliud agentes et sperantes, aut fortuitis causis excitatos et prouocatos, magnoque et improviso opportunitatum concursu adiuutos, perfecta est: in istis omnibus gubernatricem Dei manum, omnium gentium res atque omnium saeculorum, complectentem, deprehendimus.

§. VI.

Sed nos ita disputamus, ut perpetuae tantum, seu ordinariae, gubernationis diuinae rationem habeamus. Ac de miraculosa quidem, quam vocant, hic dicere non attinet, quoniam, veritate miraculi explorata, de auctore nihil dubitationis relinquitur. Aliud autem diuinae gubernationis genus, quod nec omnino miraculosum dici, nec
tamen



tamen ad perpetuum referri possit, Israëlitarum rei publicae proprium fuit: ad quod iam paullum, antequam ad reliqua pergamus, digrediendum videtur. Haec gubernatio, quatenus a perpetua discrepat, divinis sacrarum literarum testimoniis cognoscitur; quapropter de modo eius documenta inuestigandi, nulla vel quaestio, vel dubitatio est. Sed ipsa qualis fuerit, et quo pertinuerit, ne cum perpetua temere confundatur, videndum est. Id vero a sacris scriptoribus traditum tenemus, ex omnibus reliquis populis Deum sibi Abrahami posteros elegisse, in quibus ut perpetuo conseruaretur vera religio, inde ad reliquas gentes suo tempore propaganda, modis omnibus prouideret. Sed cum Deorum cultus omnem terrarum orbem peruagatus esset, ne huius mali labes Israelitas quoque, ad reliquarum gentium imitationem proclites, velut contagione inficeret, neque vnquam vera religio, inter tot ac tanta idololatriae irritamenta, penitus in hoc populo interiret, regiam in eum potestatem Deus, legibus arbitrariis ferendis et exercendis, ipse vsurpauit, ut eundem et Regem, et Deum, Israelitae venerarentur. Haec autem regia potestas postulabat, ut non solum omnem eorum rem sacram et ciuilem legibus et disciplina constitueret, sed praemiis quoque et poenis arbitrariis, quae ad hanc vitam pertinerent, leges a se latas muniret. Quo autem efficacius admonebantur Israelitae, summi Regis et aeterni imperio se regi, eas poenas atque ea praemia legibus suis vniuersis adiunxerat, quae in alius regis potestate non essent. Et in praemiis quidem, obedientiae legis propositis, omnia erant huius vitae bona, ut frugum vbertas, rei familiaris copiae, felicitas prolis, victoria contra hostes certa ac perpetua: in poenis autem alia omnia, summa miseria et inopia rerum omnium, calamitates maximae, exilium praesertim et seruitus; quae omnia late explicata leguntur Deutr. XXVIII. Videtur enim Deus, ut aliis institutis



tutis, ita et hoc arbitrario praemiorum poenarumque genere, id maxime secutus esse, vt huic populo se quam praesentissimum sifteret, sui que numinis potestate paene sensibus ingerenda, vniuersum ad sui venerationem conuerteret. Neque vlla peccata vel vniuersi populi, vel singulorum, praesertim principum virorum, acrius et feuerius puniuit, quam quibus maiestas sua imminueretur, quae quidem faepissime publicis calamitatibus expiata videmus. Sed hanc omnem gubernandi rationem regium Dei in Israelitas imperium flagitabat. Rei enim publicae administratio, quam susceperat, cum ad hanc vitam pertineret, sine arbitrariis et praemiis et poenis omnino ne locum quidem habebat. Verissime enim Solon pronunciauit, auctore Cicerone ad Brutum, praemio et poena rempublicam contineri. Ex eo autem huius gubernationis a perpetua f. ordinaria diuersitas in promptu est. Dominium enim, quod in omnes gentes Deus exercet, non huius vitae angustiis continetur, sed alteram quoque spectat, cum hac mortali quasi copulatam: quapropter ei non est necesse, vt hac in vita arbitraria virtuti praemia, improbitati poenas, constituat, cum iis in altera locus esse possit. Neque omnino huius vitae vel bona vel mala hoc per naturam suam habent, vt praemiorum ac poenarum loco reponenda sint. Quis enim negare sustineat, in huius vitae miseria, beneficii diuini, in felicitate, poenae vim, pro diuerso hominum vsu, inesse posse? Etsi igitur in Israelitarum rep. temperanda Deus rebus aduersis ad puniendum, secundis ad remunerandum, vsus est: tamen inde non sequitur, eius omnem rerum humanarum gubernationem huic rationi perpetuo adstrictam esse. Sed idem, quod ratio vincit, historia omnis testatur. Multi enim populi, quos Deus profecto non plane neglexisse existimandus est, in summa superstitione et religionum vanitate, opibus et copiis affluentes, longa felicitate luxuriauerunt. Ac,

C

nisi



nisi forte primi Christiani, quorum vita tot periculis, calamitatibus, omniumque malorum cohortibus, exposita esset, ipsique adeo Apostoli, pessimi homines fuere: profecto vulgaris opinio, quae in malis huius vitae, praesertim publicis, nihil nisi poenas diuinas videt, homine Christiano valde indigna censenda est.

§. VII.

Iam, quoniam diuinam hanc gentis Iudaicae gubernationem nihil ad nos pertinere vidimus, ad perpetuam redeundum est, cuius vestigia, quomodo in Historia reperiuntur, supra indicauimus. Sed quae ibi vniuerse proposuimus, ea iam vberius explicanda et exemplis declaranda sunt. Primo igitur, diximus, videndum esse, num quid in iis, quae hominibus omnino non sint libera, ad eorum felicitatem factum appareat. Huc pertinent v. c. locus, quo nascimur, tempus, parentes, itemque omnia bona, quae cuius homini a natura tributa sunt. Haec enim nec nobis, nec parentibus omnino, sed diuinae gubernationi debemus. Neque id patri liberum, cuius sexus prolem, multo minus, cuius ingenii atque indolis, generare velit. Propterea Alexandrum M. et Aridaeum, non miramur, eodem patre natos esse. Quae cum ita sint, tamen haud dubie verum est, quod vulgo vsurpant, magnos in quoque genere viros non tam fieri, quam nasci. Quis igitur non miretur, maxima saepe ingenia fere in loco atque in tempore exorta esse, rebus iis iam praeparatis, in quibus vim suam, multis gentibus salutarem, expromerent, earumque rerum auctores ac principes fierent, quibus alio tempore vel perficiendis, vel suscipiendis etiam, impares fuissent. Sic Lutheri ingenium acre, alio tempore, aut alio in regno, natum, tanto operi, quo sibi omnem posteritatem deuinciret, non suffecisset. Idem de multis aliis magnis homi-



hominibus, in quorum ingenio ac dotibus instrumenti vim diuini agnoscere possis, dicendum. Nec vereor de ipso Seruatore nostro O. M. idem affirmare; qui si alio tempore inter homines homo natus esset, in tantas opportunitates, propagandae religioni suae mire accommodatas, non incidisset. Sed, quantum historia duce possumus priscarum rerum memoriam repetere vltimam, excellentia quoque ingenia videmus per omnes terras ac gentes ita semper fuisse distributa, vt nulli populo, primis praesertim cuiusque temporibus, viri defuerint sapientes, qui ciuitates legibus ac disciplina constituerent, et felicitatis publicae priuataeque auctores et doctores essent. Qua in re sapientis dispensatoris diligentiam animaduertere licet, qui non omnia vno in loco atque eodem tempore profundat, sed aequabili distributione alia iam dispertiat, alia ad futuros vsus referuet. Sed plura huius generis documenta reperiuntur. Neque huc referre dubitauerim insigniores quosdam tyrannos et humani generis hostes, quos, Historia commemorat, tanquam exempli causa, pessimo esse leto affectos, vt inter diros exitialis morbi cruciatus, foedam tandem animam exhalarent. In his igitur, aliisque generis eiusdem, nihil humanae operae, aut consilii, nec est, nec esse potest: omnia diuini Numinis, omnium temporum ac populorum res complectentis, benignam et sapientem prouidentiam loquuntur.

§. VIII.

Alterum, et multo vberius ad hunc vsum, genus est, quod ipsis hominum consiliis et actionibus, diuina gubernatione regundis, cer-
nitur. Hic primo dicendum videtur de iis, quae euentis secundis diu
ante praeparandis ac praemuniendis mirifice inseruiere. Etenim si ista
praemunitio per homines quidem, sed aliud agentes et spectantes,

C 2

facta



facta est, dubium esse non potest, quin diuinæ gubernationis documentum illustre praebeat. Quo autem latius patebit euentus salutaris, eo amplior esse debet apparatus praesidiorum. Quare illustriora quaedam exempla ponamus. Nihil profecto post hominum memoriam maius, atque vniuerso generi humano salubrius, euenit, Christianae religionis origine et propagatione; cui viam per orbem terrarum a longo tempore praeparatam ac munitam fuisse, vel coniectura iudicandum sit ignorantibus. Hoc autem si factum viderimus ingenti apparatu, a multis ante saeculis, per eos, qui alia omnia spectarent, et alieno a tali religione animo essent: expressius diuinæ gubernationis vestigium non requiremus. Iam historiae beneficio cognoscimus, inde ab Alexandri M. temporibus istam praemunitionem a multis populis, tanquam consensu aliquo, susceptam esse, et Graecorum imperium non modo et Romanorum, sed Iudaeorum quoque migrationes in omnes culti orbis terrarum partes, diuina instrumenta fuisse, quibus sapientissimus Gubernator omnes propagandae Christi doctrinae commoditates vario modo pararet. Et Alexandrum quidem, satis constat, cum totam Asiam, ad Oceanum vsque victoriis suis illustratam, peruagatus esset, per illas terras, quas imperio suo subiecisset, linguae Graecae usum simul propagasse. Nam post eius obitum illae regiones omnes, etiam quae ultra Euphratem sitae essent, satis diu manserunt sub imperio Graecorum, vt linguae peregrinae usum facile arriperent. Sed is latius etiam fusus est, subiectis Romanorum imperio Graecis. Romani enim, cum omnes Graeci nominis populos bello superassent, perpetua consuetudine cum Graecis usum linguae et ipsi traxerant. Inde factum erat, vt Christi aetate per totum Romanorum imperium vsus vigeret linguae Graecae, quae in Italia, Asia, Aegypto, Syria, Palaestina, forsan et ultra Euphratem, praesertim in nobilibus vrbibus, etiam vulgo nota esset.

Sed



Sed hanc rem primis Christianae religionis doctoribus mirifice profuisse, in promptu est. Nulla enim alia lingua Apostolis, praeter patriam et graecam, quam vtramque vsu didicissent, opus erat ad omnes cultiores populos disciplina Christi imbuendos, eaque loca omnia ad eunda, in quibus prima fundamenta Christianae religionis, ad alias postea gentes propagandae, essent iacienda. Quapropter etiam in scriptis suis, quotquot ab Ecclesia seruata sunt, omnibus, quanquam diuersis Christianorum coetibus ab initio destinatis, vnā tamen linguam Graecam vsurparunt. Non minus profuit vsus huius linguae tot gentibus communis, et in ipsa Iudaeorum sacra receptus, cognoscendis V. T. scriptis, quae per Iudaeos Alexandrinos Graece translata exstarent. Ipsi autem Iudaei, Christiani nominis hostes, et, quantum in ipsis fuit, euersores, doctrinae Christi, per orbem terrarum progressurae, viam patefecerunt. Christi enim temporibus per omnes terras longe lateque dispersi, primum vltra Euphratem inde ab exilio Babylonico, deinde in Aegypto, Libya et Cyrene, a Ptolemaei I. temporibus, porro in Syria, Asia, Cypro, omnique Graecia atque Italia, in quas terras maxime spe lucri, per mercaturam faciendi, allecti essent, sedes fortunarum positas habuere, et in omnibus locis synagogas et profeuchas multas, libertate religionis, per totum Romanum imperium ritu patrio colendae, concessa a Caesare, eximio huius gentis fautore; cuius exemplum nostrae aetatis magnus Princeps, vt in aliis, ita in hoc quoque, expressisse videtur. Sed ea re factum est, vt quocumque venissent Apostoli, statim locum, exponendae Christi doctrinae opportunum, ac propter audientium celebritatem, quae alias non erat futura, exoptatissimum, synagogam, reperirent; vnde per profelytos ad gentiles quoque venire posset. Atque ipsi Iudaei ad recipiendam Christi doctrinam praeter ceteris gentibus praeparati et procliuēs esse debebant,





bebant, iisque de confilio Dei primum proponenda erat. Sed cum per omnes terras tanquam distributi ac dispositi essent, facillimus huic religioni ad reliquas gentes transitus patebat. Ipsa denique Romani imperii amplitudo, sine qua reliqua illa vix locum habuissent, celeres rei Christianae progressus maxime iuuit. Vna enim, ab rerum humanarum initis, gens Romana, paullo ante Christi tempora id consecuta erat, vt terrarum orbe deuicto et pacato, ciuilibus bellis compositis, summa rerum ad vnum delata, omnique bellandi materia paene consumpta, omnes populos in officio continere, omnibus pacem et tranquillitatem praestare, adeoque liberam Euangelio et expeditam per tot gentes, tam varias, viam parare et munire posset. Qui tantus praesidiorum ad talem euentum concursus, cui nihil simile antea in omni memoria auditum fuerat, diuersis hominum studiis et consiliis a multis inde saeculis coagmentatus, documentum prouidentiae diuinae, res humanas ad arbitrium suum gubernantis, amplissimum praebet. Cum hac prima sacrorum Christianorum per orbem terrarum propagatione similitudine quadam coniuncta est eorum per Lutherum emendatio, quae et ipsa in euentis, humano generi saluberrimis, iure meritoque ponitur. Sed ei praeparandae vel Turcae operam suam adhibuerunt, infestando ac tandem euertendo imperio Graecorum Orientali. Ea enim re factum est, vt per Graecos, qui in Italiam confugissent, Occidentis populi literarum disciplina, quam ab iisdem Graecis olim acceptam, perdidissent, denuo imbuerentur, et profligatae barbariae tenebris, impugnandae superstitioni, veritatisque coelestis indagandae, idoneum instrumentum compararetur. Quantopere enim haec literarum in Occidente per Graecos instauratio, sacrorum emendationem praemuniuerit, et nemo ignorat, cum ipsa res et ratio doceat, et Lutherus testatus est, cum se dixit: nulla re magis, quam linguarum

et

et grammaticae praefidio instructum, contra Satanam et Pontificem feliciter depugnare. Sed eodem saeculo, ante Lutherum proximo, typographia inuenta est, cui celerem sacrorum emendationis progressum magna ex parte debemus. Plura commemorari possunt, sed sufficiat illustriora posuisse. Omnino autem, si quis attendere volet, hoc genere documentorum providentiae abundare historiam reperiet. Sed quoniam eorum cognoscendorum ratio e duobus exemplis, quae clarissima posuimus, satis perspicue intelligi potest, iam ad reliqua veniamus.

§. IX.

Conatus hominum diuina gubernatione prohibitos esse, tum maxime apparet, cum eos, primo, consiliis Dei salutaribus contrarios fuisse, deinde, non tam humana opera, quam potius, causa quadam fortuita, praeter omnem spem et opinionem intercedente, repressos videmus. Exempla repetamus e conseruatione imperii Romani, in qua, quid Deus spectauerit, ex iis, quae proxima paragrapho disputata sunt, intelligi potest. Res publica Romana quantis in periculis versata, et quam prona saepe ad interitum fuerit, nemo est, quin sciat. Sed quo propius res aberat ab intereccionem, quo praesentius periculum imminabat, eo minus videmus humani consilii vim ad salutem profuisse. Capitolio a Gallis Senonibus occupato, anserum strepitus, post praelium Cannense Annibalis inconsulta cessatio, in coniuratione Catilinaria indicium mulierculae, et Allobrogum hominum, saluti fuit. Sic Deum videmus vilissimas saepe res maximis hominum molitionibus obiicere, motuque leuissimo omnes eorum rationes disturbare, quo magis sentiant vim numinis diuini, seque nihil sine eo posse, intelligant. Atque hic etiam videre licet, quomodo



modo Deus in mundo gubernando magnarum saepe rerum longam feriem e tenuissimo filo suspendat. Quid enim tam nihili est, quam anserum clangor? Horridus ille quidem et raucus, tamque ingratus auribus nostris, vt non nisi rep. conseruanda nobis placere possit. Sed sine isto anserum in Capitolio clangore, non erat Caesar futurus, non Cicero, non tanta Romani imperii amplitudo, terrarum orbi, ad percipiendam Euangelii vocem tranquillando, comparata. Annibalem autem dirum, Romani nominis hostem hereditarium, alacrem, audacem, quem nec Alpium iuga tardassent, qui consilium in tempore capere soleret, quis non miretur, post Cannensem victoriam adeo dissimilem sui se praebuisse, vt ad pensandum praefecti equitum consilium, minime cessandum rati, temporis opus esse arbitraretur? Etenim gregarius quoque miles id ei consilium dare poterat, vt victoria vteretur, instaret victis, nulla parte quietis concedenda, nullo temporis ad animos a tanto terrore, ac paene alienatione recipiendos, relinquendo spatio. Id si secutus esset, actum de Romano imperio fuisset, ipso Liuio fatente, vnusque diei moram vrbi salutarem fuisse, existimante. Sed Annibal rem animo capere non poterat. Haec talis magnorum imperatorum imprudentia, a quibuscunq; deum causis profecta sit, quae plures esse possunt et occultae: quis enim omnes animi latebras norit? Sed ea imprudentia et inconstantia, qua non vident, quae sunt ante oculos atque in promptu, argumento esse potest, quantopere in bellis dominetur vis diuinae gubernationis, quamque non sint euentus eorum in potestate humana. Neque id mirandum. Nusquam enim maior est concursus rerum inopinatarum, quae leui momento consilia, vim, et conatus hominum, eludere, dubiaque et ambigua omnia reddere possint. Inde et Latini *belli aleam* dixere, ac Caesaris illa vox, *iacta alea esto!* qua ciuile bellum ad Ru-

bico-



biconem fluuium ingressus dicitur, eodem pertinuit; quanquam illi fere omnia ad fortunae quendam lusum inepte transferebant. Non minor autem, quam Annibalis, fuit inconstantia Pompeii, at quanti ducis! in ciuili contra Caesarem bello, itemque Antonii, cum Augusto ad Actium depugnantis: quibus iam nolumus immorari. Sed in his quoque Dei, qui pacati orbis imperium Augusto decreuisset, consilium et numen apparet. Iam, quoniam diximus, quando gubernatio diuina in salutarium euentorum tum praesidiis et opportunitatibus praeparandis, tum impedimentis remouendis, eluceat: idem in ipsis euentis, restat, vt ostendamus.

§. X.

Quoniam diuina gubernatio in regundis hominum actionibus ita versatur, vt alias, quanquam non optimo consilio susceptas, tamen ob commoda inde profectura, permittat, alias etiam eliciat et iuuet, quippe insignem quandam vtilitatem proxime spectantes: facile intelligitur, duplicem esse eius in hoc genere agnoscendae rationem. Et enim si qua vtilitas magna et late patens, humana quidem opera inuenta et parata erit, sed per homines, aut aliud spectantes et sequentes, aut causis leuibus et fortuitis excitatos et prouocatos, multisque rebus, quae in ipsorum potestate non essent, adiutos: vtroque modo diuinae gubernationis vestigium apparebit. Prioris generis exempla haec sunt. Gentes barbarae, quae Romanum imperium, a saeculo quinto maxime, inuaserunt, et tandem euerterunt, cum ipsis terris, quas quaesuerant, Christianam religionem inuenerunt. Sed cum isti populi omnem Occidentem inundassent, profecto in tanta sequentium temporum barbarie, latina lingua eiusque antiqua monumenta omnia, irreparabili damno, periissent, nisi vsus eius, cum in iure, tum ma-

D

xime





xime in facris, tantam calamitatem auertisset. Nam cum Romanorum Pontificum auctoritas atque arrogantia hanc linguam consecrasset, erat sane multis eius utcunque discendae necessitas, sine qua haud dubie penitus neglecta iacuisset, atque omnibus veterum Latinorum scriptis, ut nullius usus, abiectis, nemo tandem fuisset, qui librum Latinum describere vel posset, vel tanti putaret. Quod igitur tot tamque illustria veteris elegantiae atque eruditionis omnis historiarumque monumenta, ad nostram aetatem seruata sunt, id vero maxima ex parte Romanae Ecclesiae, eiusque Pontificum auctoritati, vel potius importunitati, debemus. Eiusdem generis exemplum praebet historia belli Germanici Saec. XVII. Hoc enim cum eo maxime consilio susceptum esset, ut Protestantium Principes plane obnoxii redderentur Imperatori, sacrorumque emendatorum libertas, aut omnino tolleretur, aut angustiis finibus includeretur, eum tamen exitum habuit pace Westphalica, qui libertatem istam, nondum antea fatis firmis praesidiis munitam, ac paene precariam, iam nulli obnoxiam, et ab omni vi tutam, suoque robore stabilem, praestaret. Nunquam profecto Protestantibus in Germania tantae vires accreuisent, nisi per ipsos hostes, victis iam insultantes, perpetuae libertatis nostrae assertores et vindices, Sueci, excitati et in Germaniam allecti essent; qui post varia rerum discrimina bello misero et calamitoso, contra consilia et molitiones eorum, qui primum suscepissent, finem tandem principio dissimilimum imposuere. Iam de altero genere videndum est, quod actiones hominum utiles et salutare, causis fortuitis vel elicatas, vel etiam adiutas, complectitur. Huc equidem retulerim utilissima quaeque inuenta. Quantum enim nobis de iis constat, non tam studio quaesita atque incredibili quadam ingenii alacritate reperta fuerunt, quam casu potius imprudentibus primum oblata, deinde

deinde arte quadam et ratione vsibus hominum accommodata. Non enim limatissimi ingenii homines, non Platones, Aristoteles, Cicerones, fuerunt, quibus inuentionem v. c. pyxidis nauticae, typographiae, aliarumque rerum et artium longe vtilissimarum, debemus. Cicero quidem eo in loco, vbi Balbum inducit, *formas literarum aureas in terram excussas*, exempli causa, commemorantem, non longe afuisse videtur a typographiae inuentione: sed eius gloriam ignoto homini relictam, ipsamque vsibus aliorum temporum magis necessariis seruatum, videmus. Deus enim istis inuentionibus tempora quoque commodissima statuisse existimandus est; quod interdum satis perspicue apparet, nosque faciliores reddit ad credendum, opportunitates diuinitus prouisas fuisse, per quas artibus illis, humano ingenio elicendis, tanquam obstetricia opera adhiberetur. Ac literarum quidem et scripturae inuentionem antiquissimae esse originis, constat. Sed ea mature opus fuit ad memoriam rerum antiquarum posteritati prodendam, ad iuuandam ingeniorum culturam, ad eruditionis thesauros seruandos, itemque scriptorum sacrorum causa. Dicitur quidem possit, scripturae inuentionem, vt alias artes, humano ingenio ab ipsa necessitate expressam esse: neque id negari omnino debet: sed, si rem reputare velimus, solam necessitatem sine insigni quadam opportunitate non sufficere ad inueniendum, reperiamus. Est enim apud nos quoque rerum nondum inuentarum ad varios vsus necessitas, sed quae nihil exprimat ingenii acutissimis, etiam praemiorum spe sollicitatis. Deinde ille ipse modus, animi sensa per scripturam exprimendi, tantam habet admirabilitatem, vt cuius ignorantia, quamuis ingenioso, paene miraculi instar videri debeat. Has igitur ob causas scripturae inuentionem, quanquam eius et auctorem, et modum, ignoramus, tamen, in documentis prouidentiae diuinae recte numerari, defendimus.



mus. Ab hac autem literarum et scripturae inventione etsi proclivius transitus ad typographiam patebat: haec tamen quintodecimo demum post Christum natum saeculo inuenta est; nimirum, vt in ea tempora incideret, quae diutius illa carere non possent. Neque enim dubitandum est, longe plura historiae monumenta, quorum iactura prae ceteris damnosa est rei literariae, in tanta exemplorum paucitate, interitura fuisse, nisi illa exemplorum multiplicandorum ars subuenisset. Deinde, renascentibus literis et sacrorum emendationi, nihil poterat exoptatius contingere, nihil expeditiorem per Europam viam aperire, quam typographia. Sed has utilitates omnes profecto non spectabat inuentor, qui ne poterat quidem, et suam tantum sequebatur. Quare et in hac arte proferenda gubernatricem Dei manum occupatam fuisse, haud dubitanter affirmamus. Vnum adhuc sacrorum emendationis, quam saepe commemoramus, idque valde illustre exemplum, huic generi subiiciamus. Hanc diuini operis et consilii fuisse, sicut e praemunitione facta iam intelligi potest, ita ex ipsius vniuersa ratione etiam clarius elucet. Fuit autem haec tanta rerum conuersio humano generi tam salutaris, tamque prouida utilitatum insignium, ad plurimas gentes, etiam ipsi infensas, omnemque adeo posteritatem, redundantium, vt, si de origine eius coniectura iudicandum sit, potentissimi Principis et sapientissimi consilio et summis laboribus, nec sine armorum strepitu, facta videri possit. Sed historia nobis rem totam, vno monacho auctore, docendo et scribendo, perfectam commemorat. At is ipse forsitan, cum primum ad superstitionem aetatis suae animum aduertisset, incredibili quadam ingenii vi atque acie excitatus, et magnorum Principum auxilio fretus, tantam rem animo concepit? Immo alia omnia. Lutherus ab initio iisdem fere in erroribus versabatur, qui omnium aequalium suorum communes erant. Quae postea melius



melius intellexit et verius docuit, ad ea quaerenda et inuestiganda variis modis excitatus et tanquam prouocatus fuerat, occasionibus haud dubie diuinitus adnotis. Etsi enim iam ante litem cum Tezelio, Theologiam Aristotelicam improbauerat, vsum Scripturae S. ad salutem necessarium asseruerat, omninoque eo ingenio erat, vt non plane acquiesceret in vstitatis et vulgo probatis, et eo animi robore, vt pro veritate, quam vidisset, nihil non audendum existimaret: tamen coniecturae locus est, sine Tezelio, Eccio, et aliis, qui Lutherum ad veritatis indagandae studium curamque magis magisque incenderent et acuerent, vel nullam, vel certe non plenam, sacrorum emendationem futuram fuisse. Id quidem liquido affirmari potest, Luthero consilium omnis religionis constituendae ab initio nullum fuisse. Quum enim Tezelii furore ac nefariis concionibus primum irritatus esset, nihil omnino fecit, ex quo tale consilium cum specie quadam colligi posset, necdum postea, cum iam Cajetani importunitatem expertus esset, res eo pertinere visa est. Atque adeo, duobus iam annis elapsis, Miltizii prudentia et moderatione res tota consopita esset, nisi Eccii provocatio intercessisset; cui sane multum hoc nomine debemus. Nihil enim efficacius esse poterat ad Lutherum denuo irritandum; et quae post hanc disputationem deinceps molitus est Eccius, omnia eo valuerunt, vt Lutherus ad excutiendum Pontificis iugum, et sacrorum emendationem suscipiendam, non tam excitaretur, quam compelleretur. Sed quemadmodum hoc salutare opus ab ipsis aduersariis Luthero expressum, siue quod eodem redit, diuina gubernatione elicatum, videmus, ita ei quoque non humano consilio, sed temporis quadam opportunitate, successum datum cernimus. Iam non dicamus de iis, quae ante Lutherum facta sunt: ipsa eius tempora consideremus. Ac primo quidem in eo elucet consilium ac numen Dei, quod sacrorum





emendationem sub eo Principe nasci iussit, qui, cum ipse manum operi non admoueret, tamen instrumentum eius, diuinitus praeparatum, conseruaret ac tueretur. Fridericus enim Sapiens non tantum tribuebat doctrinae Lutheri, vt eam ipse amplecteretur, aliosque suo exemplo admoneret: sed hoc ipso omnis suspicio cupiditatis et ciuilis commodi, sacrorum emendatione quaesiti, remota est, vt adeo, qui uellent, intelligere possent, non Principum rem, sed communem Christianorum agi. Cum autem Fridericus conatus Lutheri, quem virum bonum et doctum cognouisset, non penitus improbaret, eiusque laudibus academiae, ab se recens constitutae, celebritatem conciliari uideret, semper id egit ac studiose, vt eius vitae et capiti praesidio esset. Iam, quod ad res imperii Germanici, vnde plurimum impedimenti metuendum erat, attinet, prima Lutheri molimina inciderunt in annos extremos Maximiliani I. senio confecti, et huic rei tam parum infensi, vt in eius mentione nec iocis abstineret. Secutum est interregnum, quo Germaniae Principes, de eligendo Imperatore solliciti, molitiones monachorum non curabant. Postea Carolus, qui Friderici Sapientis auctoritate Imperator electus esset, huius ipsius causa multum Luthero indulgisse uidetur. Porro Turcarum metus et continua cum Francisco I. bella Carolum satis diu prohibebant, quo minus Protestantium Principes offenderet atque in se exacerbaret. Accesserunt eius continua cum Pontifice Rom. dissidia, et alia complura: quibus omnibus effectum est, vt sacrorum emendatio, ab exiguis profecta initiis, sensim progredi, nullo prohibente, posset, donec ei tanta incrementa accessisset, vt iam ad perpetuitatem factis firma, neque adeo bellorum acerbitati sustinendae impar, uideretur. In tanta igitur temporis opportunitate, quoniam nihil humani consilii nec fuit, nec intelligi potest, omnia diuino numine prouisa et nexa et aptata fuisse, libenter, vt opinor, fatebimur.

§. XI.



§. XI.

Ex iis, quae hactenus a nobis disputata sunt, perspicuitas talium documentorum satis intelligi et iudicari potest. Nam si prouidentiam in iis agnoscere nolimus, fortunam coecam et casum quandam rerum saluberrimarum auctorem et artificem faciamus, necesse sit. Quis autem eas res casui tribuat, quae consilium prae se ferant sapiens et salutare, et quam longissime spectans? Etsi igitur dubitari non debet, quin clare loquatur prouidentiam historia: tamen eius documenta euidentiam et vim argumentorum non assequi videntur. Nam si cum eo, qui omnem prouidentiam negaret, ex historia sola pugnaremus, posset ille quidem ad assentiendum leniter moueri; plena et satis firma persuasio non existeret. Semper enim pateret effugiendi locus. Diceret nimirum, multa casu accidisse, reliqua per homines facta, hos opportunitatibus forte oblatis vsos; argumenta nostra principium petere et in orbem circumferri, cet. Deinde nos obrueret exemplis, impugnandae prouidentiae idoneis, quorum ei largam copiam historia ministraret, atque ita facile nos ex historiae campis in media philosophiae spatia compelleret, vt aliis armis vtendum esse videremus. Neque aliunde nobis speciosiores dubitationes obiici possunt, quam ex historia; idque iam a veteribus factum videmus, et ipso Cicerone lib. III. de Nat. Deor. vbi per Cottae personam contra prouidentiam maxime ex historia disputat. Quare, si ex historia sola, nullis aliis argumentis adhibitis, prouidentiam demonstrare velimus, res non vltra hypotheseos probabilitatem procedat, ex qua alia bene explicari possint, alia non item. Etenim, vt alia mittam, si multis improbis bene fuisse videmus, probis autem vel male, vel non satis pro merito bene, dubitatio sane oritur, cui ex ipsa historia occurri non possit. Quodsi haec ita conciliare volumus, vt inde concluda.

cludamus, aliam vitam, post hanc breuem, futuram, in qua, vt quisque meruisset, ita cuique euenturum sit: profecto vltro fatemur, nos iam satis firma prouidentiae persuasione praeparatos ad historiam accessisse. Eam ob causam nos quoque rem ita tractauimus hac disputatione, vt, prouidentiae veritate concessa, tantum quaereremus, vbi eius in historia vestigia apparerent. Id quoniam saepe et perspicue vidimus, aliis exemplis, quae pugnare cum prouidentia videantur, non perturbamur, de eius veritate iam certi et persuasi. Deus enim ipse videtur huius vitae res ita saepe temperare, vt in ea non acquiescere possimus, atque eo magis ad alterius spem et cupiditatem erigamur et incendamur.

Haec habuimus, quae de Historiae ad agnoscendam Dei prouidentiam vsu hoc tempore disputaremus. In quibus, quanquam verendum nobis est, ne multa sint, quae Schroeckhiana disciplina non satis digna videantur: tamen et argumenti huius ad intelligendum et explicandum difficultas errata nostra aequis iudicibus excusabit, et illa ipsa disciplina, ex qua profecti sumus, eos, quibus commendari cupimus, bene adhuc de nostra mediocritate sperare iubebit.



X 237 3713

nc



B. m. | 402

HISTORIA
PROVIDENTIAM DIVINAM
QVANDO ET QVAM CLARE
LOQVATVR?

DISPVATIO HISTORICO-PHILOSOPHICA
QVAM

PRAESIDE
IOANNE MATTHIA
SCHROECKH

HISTORIAR. PROFESSORE PVBL. ORDIN.
BIBLIOTHECAE ACADEMIAE DIRECTORE
INSTITVTI REGII HISTORICI GOTTINGENS.
MEMBRO ORDINAR. SOCIETATIS LATIN.
MARCH. BADENS. SODALI HONORAR.
H. T. ACADEMIAE RECTORE

AD D. IV. OCTOBRIS A. C. MDCCLXXVI

PVBLICE DISCEPTANDAM
PROPOSVIT

AVCTOR
CAROLVS LVDOVICVS NITZSCH
A. M. ET THEOL. BACCAL.

VITEBERGAE
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII

